



**Quæstionum Canoniarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum V. Decretalium, Per Quadraginta, Et Unum Titulos Distributum,
In quo agitur De Judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo
judicio instituendas, & suscipiendas, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1709

Quæstio XL. In Titul. XL. De Verborum Significatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73064](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73064)

QUÆSTIO XL.

IN TITUL. XL. DE VERBORUM SIGNIFICATIONE.

2261



Verborum significatio in Rubrica, ff. de Verb. significat: nihil aliud est, ut notat Pereyra in appendice ad Elucidarium n. 1932. quàm *certa sensus demonstratio, quâ qualibet res, dictionis attributione, exprimitur*; vel brevius: significatio est proprius, & verus verborum, rerumque intellectus, quo quælibet res, tanquam in picta tabella oculis quasi subicitur, & declaratur. *Significare* enim est rei alicujus essentiam, veluti pictâ quadam tabellâ exprimere. Quare cum in genuino, ac legitimo sensu verba, & dictiones accipimus, verba in sua significatione dicimur usurpare.

2262

Secundum aliquos, triplicem verba, seu voces, formaliter significativæ, significationem habent, *naturalem*, ex institutione; *vulgarem*, ex communi usu hominum: *juridicam* juris acceptione, de qua divisione egimus l. 1. decretal. Alii autem, ut notatur ex Castropalao tr. 3. de Legib. D. 5. p. 3. §. 3. n. 7. volunt proprietatem verborum, vel esse naturalem, vel civilem. *Naturalis* est, quæ ex communi hominum acceptione habetur. *Civilis*, quæ ex sola fictione juris, & per quandam quasi translationem. Exempli gratiâ, nomen *mortis*, ex communi hominum acceptione, morti *naturali* accommodatur: fictione juris, & per quandam analogicam translationem, *professioni Religiosorum*, & *exilio* attribuitur: sic nomen *filius*, de naturali dictum, beneficio juris etiam dicitur *de adoptivo*. His prænotatis.

2263

Cum in quæstionibus, quæ proponuntur, resolvendis, frequenter contingat, nasci dubium, *in qua significatione* verba legis, aut datæ dispositionis accipienda sint? *an in naturali tantum? an etiam juridica?* ad hoc resolvendum regulæ aliquot à Doctoribus præscribuntur. Prima est, quod primo omnium spectanda sit *mens dicentis*,

ut dicitur c. *Secundo requiris*, de Appellat. & à nobis notatum est l. 1. tit. 2. a. 12. §. 4. Hinc ubi de hac constat, non curanda sunt verba, eaque standum est, licet in contrarium sint verba, secundum dicta ibidem; quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus, ut dicitur c. 6. h. t. Verum quia sæpe ambigitur *de mente* disponentis; vel loquentis ad eam rectè erendum traduntur complures regulæ, quibus in dubio ritè adjuvemur. Prima est, quod tali casu intelligenda sint, & accipienda *in propria significatione*, nempe secundum communem usum hominum. L. *Non aliter*, 69. ff. de Legat. verum & hæc regula limitari debet, ut non procedat, si verba sic accipiendo sequeretur absurdum; vel dispositio redderetur inutilis, vel repugnaret materiæ substratæ. Nam in tali casu verba potius interpretanda forent, quàm ut ea admittantur, c. *Abbas*, 25. h. t. ubi dicitur, verba debere intelligi, ut aliquid afferant, & non remaneat ambiguitas. V. quæ super his diximus l. 1. tit. 2. a. 12. à §. 4.

Et in hoc fundatur altera regula, quod verba intelligi, & accipi debeant *cum effectu*, sic, ut aliquid operentur, nec ullum sit superfluum, L. 1. §. *hæc autem verba*, ff. quod quisque juris, L. 3. ff. de jure jurando, c. *Relatum*, 4. de Cleric. non Resid. Cum enim in Concilio Lateranensi constitutum esset, ut nulli beneficium Ecclesiasticum conferatur, nisi residenti in loco, & curam ejus per se exercere volenti; nonnulli autem ad Ecclesias, quia se id posse affirmabant, præsentati, sed, quod se posse dicebant, factò contradicerent, proposuit Archiepiscopus Eboracensis Alexander III. an propter hoc tales præsentatos possit rejicere, vel institutos removere? affirmative respondit Pontifex dicens: *cum verba accipienda sint cum effectu, tales, si præsentati fuerint, non debent admitti, & admisi poterunt amoveri, nisi forte de licentia suorum Prælatorum, vel studio literarum,*

rarum, vel pro aliis honestis causis contingit eos abesse: nec patrocinari debet eis appellacionis diffugium, si contra hujusmodi intentionem decreti fuerit interjectum. Quia aliàs *Decretum Lateranense non habuisset effectum.*

2265 Tertia regula est, *verba generalia, generaliter accipienda esse, L. 1. §. generaliter, ff. de Legat. præstand. cui conformiter comuniter usurpatur vulgatum illud in L. de pretio, ff. de Publiciana, ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* Quarta, quòd, ubi idem termo, seu dispositio duas sententias exprimit, ea potissimum excipienda, seu eligenda sit, quæ reigerendæ aptior est, per *c. Inspecimus, 45. de Reg. juris in 6. ubi dicitur: quòd inspicimus in obscuris, quod verisimilius est, vel quod plerumque fieri contingit.* Nam licet, quando verba conventionis, vel dispositionis clara, & aperta sunt, absque ulteriore investigatione ea sequi debeamus; quia *in certis non est locus conjecturis, P. non aliter, ff. de Legat. 3. ubi verba obscura sunt, vel quando nonnunquam etiam quædam sunt omissa, ne dispositio concidat, sed ut sustentetur, recurrimus ad id, quod est verisimilius, & fingimus plura dicta, quam scripta fuisse, ut ait Gail. l. 2. observ. 132. n. 7. & seq. Videntur autem in idem coincidere, id, quod verisimilius est, & quod plerumque fieri consuevit, quia id, quod plerumque fieri consuevit, verisimile est communiter in actionibus humanis spectatum esse.*

2266 Quinta, quòd per verba præcedentia declarentur subsequents, & vicissim, *L. Vtrum, ff. de Pet. hæred.* Nam in proœmio plerumque mens, intentio, & causa finalis, ex qua procedit Legislator, vel disponens, exprimitur; & in subsequentibus sæpe per appositas clausulas præmissæ restringuntur, vel ampliantur. Sexta, quòd in dubio contra dicentem interpretatio fiat; nam is, qui contractum init, aut legem condit, aut privilegium concedit, omnis qualitatibus, quas, si voluisset appositas, exprimere potuisset, præsumitur sub tali qualitate non contraxisse, aut voluntatem suam alligasse, *c. Contra eum, 57. de reg. jur. in 6. ubi dicitur: contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est facienda interpretatio: sed hæc interpretatio solum facienda est in ambiguis: quia in apertis non est locus conjecturis, L. continuus, ff. de verb. oblig.* Nam si constet, de quo

senserint, utique hoc sequemur, in quo nulla hæsitatio est. Si item constet, quòd dissenserint, actus corrumpitur. Sed quando dubitatur, de quo senserint, aut quid senserint, vel quid comprehendi voluerint, aut non voluerint conventionem? locus est regulæ; & hæc interpretatio ad hoc servit, quòd, cum Judex secundum adversarium hoc casu judicat, dicatur rectè, & secundum veritatem judicasse, *L. si stipulatus fuero, §. fin. ff. de verb. oblig. nisi is, qui verba protulit, aut contraria probatione, aut fortiore aliquâ præsumptione aliud actum fuisse ostendat, L. non aliter, ff. de leg. 3.*

Dices: contrarium haberi in jure; nam 2267 Ulpianus respondit, *si quis intentione ambigua, vel oratione usus sit, id, quod utilius ei est, accipiendum esse: & libellum in verbis aliquibus obscurum, non contra actorem, sed prout ipse hoc voluit, & ex intervallo declaravit, L. si quis intentione, ff. de judic. interpretandum esse.* Deinde in privilegiis à Principe concessis non fit interpretatio contra Principem, qui verba privilegii scripsit, sed propriæ ipsius interpretationi, si qua in verbis nascitur dubitatio, standum est, ut aut quid voluerit, aut quem esse modum sui beneficii velit, liberè dicat, & declaret, *c. cum ecclesiastica, de except. L. Neratius, ff. h. t. quemadmodum & in universum alibi respondit Consultus, quòd in ambiguis orationibus maximè spectanda sit sententia ejus, qui eas protulisset, L. in ambiguis, eod. tit.*

Sed contra est, quia is, qui verba 2268 concepit, mentem sive agat, sive excipiat, probare debet, *l. 2. de prob. Probatio vero debet esse clara, & concludens, quia sermo ambiguus non probat, & probatio dubia non relevat, c. in present. de prob. L. non hoc, C. unde cogn. Gail. 2. ob. 13. n. 14. & seqq. & ob. 22. n. 3. vers. & prob. Mascardus de prob. conclus. 1363.* Et ideo sibi merito imputare debet, qui expressius non est locutus, atque eâ ratione intentionem suam dilucidè probare non potest. Hinc: Ad 1. object. 3. illam regulæ non obstat. Ideo enim orationem ambiguam ad actoris utilitatem referimus, ut id petitum videatur, de quo actor senserit: quia (ut ait Ulpianus *L. inter stipulantem, §. 1. ff. de verbor. obligat.*) si dicto actoris in re dubia non staremus, semper negaret reus se

consensisse, semperque diceret se aliter sentire. Ut, ecce, si quis *Stichum petens*, sentiat *de uno*, & reus fortè videns se convincti testimonio, contendat se *de alio ejusdem nominis* sensisse, & iudicium accepisse, utrique secundùm actorem fiet interpretatio, ne aliàs eludendi iudicii occasio reo præbeatur, qui semper dicit se de alio Stichò sentire, & actorem malè agere, id quod pluribus verbis cum Zasio explicat Duarenus, ad §. si *Stichum*.

2269 Nec etiam obstat altera obiectio, quod dicitur de Principis interpretatione; quia cum Principis voluntas talis esse præsumatur, qualis de jure esse debet, L. ex facto, ff. de vulg. & pupil. subtit. verisimile sanè est, quòd adversus æquitatem, & iustitiam nihil declarabit. His addè regulam, quòd verba sint specialiter intelligenda *secundùm subjectam materiam, & naturam actus*, L. *Si ano*, ff. Locati. Hinc fit, quòd verba legis, vel dispositionis, *in materia favorabilis*, juxta regulas doctrinalis interpretationis, sumenda sint *latè*, nimirum non solum in propria significatione *naturali*, seu usuali; sed etiam *civili*, seu *juridica*: in *materia* verò *odiosa*, strictè; nimirum in *sola significatione naturali*, seu usuali, de quo latè diximus l. 1. c. 2. ubi egimus de legis interpretatione, ac etiam exposuimus, quando rectè fiat extensio verborum, vel merè extensiva, vel comprehensiva; vel propter identitatem, aut paritatem, vel etiam majoritatem rationis, præsertim in pœnalibus.

2270 Not. quòd quamvis ad resolvendam dubitationem de intentione, ac mente loquentis, quà significatione verbis in sermone, vel dispositione sua usus sit, perquam utiles sint dictæ regulæ, præsertim prima: quia tamen, ut ait Gregorius c. 8. h. t. sæpe contingit, *dum proprietates verborum attenditur* (nimirum sola) *sensum veritatis amitti*, qualiter fieret, si attentà solâ verborum proprietate, sequeretur aliquid eorum, de quibus loc. cit. ut est absurdum, dispositio inutilis, oppositio cum fine directè quæsito, incapacitas materiæ subtractæ, &c. non rarò tamen contingit, per aliarum legum exceptionem eas infringi, nisi sic limitentur, ut extra limites illarum exceptionum constituentur, quod operosissimi laboris est.

2271 Ad extremum nota, hunc titulum in expositione hujus libri rarò in scholis tradi

(præter dictas regulas) quoad particulares quaestiones in eo contentas, & à multis præteriti, cum scorsim, traditione juris, pleraque tangantur: quia tamen complures quaestiones, perquam utiles continent, de iis selectis ex pluribus pauca subiungemus in sequentibus. §. §.

§. 1.

Qualiter sensus verborum eruendus sit?

R Respondet D. Hilarius l. 4. de Trinitate; relatus c. *Intelligentia*, 6. h. t. intelligentiam dictòrum *ex causis dicendi, esse assumendam*, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus, id, quod diximus l. 1. tit. 2. & de jure civili plerumque admittitur; siquidem tuendæ voluntatis gratià, ut captio omnis vitetur, verba ipsa contra propriam significationem accipiuntur, ut in L. *Ex conducto* 15. §. *Papinianus*, ff. Locati, & L. 13. ff. de Excusat. Tutor. ex hoc fit, quòd nihil obstat narrandi diversitas ubi eadem dicuntur; quæ verba credunt aliqui in c. *Nihil*, 7. h. t. transcripta ex D. Augustino de Consensu Evangelist. l. 2. c. 12. 21. & 28. quia *non verbum ex verbo; sed sensus ex sensu in interpretatione transferendus est*, ut monet D. Gregorius c. 8. h. t.

Hinc in quaestione, an omnes, qui præfunt, ritè *Præpositi* vocentur? affirmativa deciditur c. *Quamvis*, 9. h. t. ubi tamen additur: quòd usus obtinetur, per eos intelligi, *qui quandam Prioratus curam super alios gerunt*. Olim enim, qui prærant rebus publicis, & civitatibus, dicebantur *Præpositi*, hæc dignitas deinde à civili politia ad Ecclesiasticam, imò etiam ad Regulares translata fuit (ut notat Gonzalez in c. *Ut Abbates*, 1. de atate, & qualitate, ubi dicitur Abbates, Decanos & Præpositos, qui Presbyteri non sunt, Presbyteros fieri debere, aut *prælationes amittere*) & qui primam dignitatem in Ecclesia habent, dictos esse *Præpositos*, Ex quo colligitur, eos propriè nunc *Præpositos* ritè vocari ex usu, qui aliis præfunt cum dignitate, primà nimirum curà in tali Ecclesia, quales non sunt Decani rurales, Priores claustrales, Vicarii, aut Ministri in Monasteriis, aut Collegiis; quo colligitur nomen *Præpositi* cit. c. 9. accipi in significatione usuali.

§. 2.

§. 2.

An male possideat, qui suis male utitur?

2274 **A**ffirmativam sequitur Isidorus l. 5. Ethymolog. c. 25. relatus c. *jus dictum*, 12. h. t. sed hæc propositio potest habere plures sensus. Primus est, quod *injustè possideat*, nimirum non munitus jure activo, seu legitima potestate utendi re possessâ, directè in commodum suâ libertatis, ex tali re perceptibile; & in hoc sensu non procedit; nam qui prodigit res, quorum dominium habet, male utitur; non tamen *injustè* possidet, nimirum citra jus disponendi validè de illa re.

2275 Dices: ergo haberet jus ad actionem illicitam, & lege non permissam; nam *prodigere res suas, illicitum est*; jus autem activum non dicitur nisi ad usum lege permissum. R. 1. & quare, an, qui est Dominus suâ pecunia, per hoc, quod male utatur illâ v. g. ut seducat mulierem, *injustè agat*, nimirum cum vera alterius injuria, & læsione justitiæ strictæ, seu commutativæ? si affirmas? concedis usum juris esse destrucivum juris, hoc est effectum sibi non sufficientem, ut existat sine sufficientia existendi à se distincta, dum actu fit, & sufficienter existit, existere sufficienter, dum non existit adæquatè sufficientia, ut existat: si negas? ergo concedis etiam pravum usum juris, esse actum dominii.

2276 R. 2. ex dictis in tract. Theol. de Jure, & Just. q. 1. dist. illatum: ergo talis haberet jus ad actionem illicitam, & lege juris solum extrinsecâ non permissam, C. ad actionem illicitam, & lege juris constitutivâ permissam, N. illatum. Ad jus activum non pertinet intrinsecè, seu constitutivè, carentia omnis legis, usum præcisè prohibentis, sed solum annullantis; aliàs dominus rei, qui voto, vel pacto sibi certum usum sui dominii præcisè interdixit, invalidè uteretur re suo dominio subjectâ, utendo illâ contra votum, vel pactum; quod dici non potest.

2277 Nam, vel cum tali pravo usu stat potestas legitima nihilominus validè utendi re, vel non? si ita? habetur intentum; si non? sequitur, quod lex prohibens præcisè usum, auferat usum, & nihil adæquatè distinctum ab usu (hoc enim important ea verba: *prohibens præcisè usum*) & simul auferat usum, ac aliquid adæquatè distinctum ab usu,

nempe dominium, seu potestatem legitimam validè disponendi de re.

Unde cum dicitur: *usus contra votum, 2278 vel legem, etiam præcisè prohibentem, est formaliter malus, & peccatum*; jus autem non datur ad peccatum formaliter malum; ergo. R. cum dist. ma. usus juris contra votum, vel legem prohibentem præcisè usum, est malus formaliter, in quantum est contra legem prohibentem C. in quantum est juxta legem juris constitutivam N. ma. hinc datâ min. N. conseq. Nam jus non est ad talem, nisi in quantum est juxta legem juris constitutivam; actus autem in quantum est juxta legem juris constitutivam, non est malus formaliter; sic enim explicat solum *valorem actus*, qui præcincit à licito & illicito; atque à lege extrinsecâ, usum præcisè prohibente; licet in quantum opponitur legi præcisè prohibenti, sit malus formaliter; sicut autem *potestas consecrandi validè corpus Christi*, non est potestas ad peccatum formaliter, licet sacerdos peccet formaliter, *consecrando validè*, dum per legem, illi potestati extrinsecam, prohibetur, puta, *si est in statu peccati gravis*; quia talis consecratio, secundum quod procedit ex ea potestate, ac lege, seu Christi institutione, est ad consecrationem præcisè validam: sic est in calu præsentis. Hinc etiam nego, jus activum, propriè dictum, dici solum ad actus lege permissos, ut pluribus ostensum est loc. cit.

Secundus sensus illius propositionis 2279 esse potest: quod male, seu non debito sine possideat, si possessionem hanc ordinet ad abusum; & in hoc sensu rectè usurpatur. Nam medium, etiam de se bonum, vitatur ex ordine ad finem pravum. Unde, sicut non procedit universaliter, quod male (hoc est, *injustè*) possideat, qui alienum possidet, cum bonæ fidei possessor rei alienæ, non injustè possideat: sic non procedit universaliter, quod, qui male (hoc est, *illicitè*) suis utitur, male, hoc est, injustè possideat.

§. 3.

Quid veniat nomine Oblationum?

R Esp. quod omnis donatio bonorum 2280 temporalium, facta Deo, vel Ecclesiæ, ut dicitur c. *Qui oblationes*; & c. *Clerici*, 13. q. 2. quod tamen in c. *Causa*, 10. h. t. aliquantum restringitur, ut nomine *oblationum* veniant illa solum, quæ de propriis, & licitis

licitis rebus à Fidelibus Ecclesie offeruntur. Dicitur *de propriis & licitis*; nam quedam res offerri, aut in altari poni, olim propter earum superstitionem prohibebantur, de quibus videri potest Gonzalez in cit. c. *Causa*, n. 3. Dicitur etiam à *Fidelibus*, plurium enim Christianorum donationes, seu oblationes, Ecclesia non recipit, nimirum eorum, qui sunt *Usurarii manifesti*, ut habetur in c. 25. Concilii Lateranensis, sub Alexandro III. & c. 3. de Usuris; *qui pauperes vexant, & opprimunt*, per can. 7. CC. Trofsejan. *Hæreticorum*, c. *Excommunicamus*, 13. de hæret. *Raptorum rerum Ecclesia*, per c. 2. de Raptoribus &c. de quibus V. dict. Gonzalez à n. 4.

2281 Oblationes, in monasteriis Regularium factas, ab ipsis Regularibus recipi non posse; & eas ad Parochos spectare, docuerunt Trullench in Decal. c. 3. n. 13. & Azor p. 1. l. 2. c. 17. sed multò probabilius est oppositum ex c. 1. de statu Monachorum, ubi Gregorius rescribens Archiepiscopo Neapolis ait: *Nec tu, nec Presbyteri tui, si quid illis (nempe in Monasterio) pro diversorum devotione accesserit, vobis vindicare aestimatis; cum Monachis sibi servientibus debeat proficere, quidquid à fidelibus taliter offerri contingit.* Idem habetur in c. *Nimis*, 16. de Excessib. Prælat. ibi: *quidquid eis (nempe Regularibus) piâ fidelium devotione donatur, ab ipsis extorquere oblationis nomine contendentes; quod eisdem tam in ornamentis altaris, quam in libris Ecclesiasticis absolute confertur, vindicam perperam juri suo &c.* Qualiter autem ex oblationibus factis, occasione funeris, quarta pars Parocho debeatur, dicitur in tit. de sepultur. l. 3.

2282 Illud etiam notandum, oblationes in Ecclesia factas, non posse per potestatem secularem usurpari. Constat ex cit. c. *Causam*, ibi: *quicumque igitur eas (nimirum oblationes) per manum, vel potestatem secularem obtinet, procul dubio contra domini, & Sanctorum Patrum institutiones nititur; quin imò, & qui accipit, & qui tradit, raptor, & sacrilegus judicatur*: ac demum quando dicitur, quod *statutum Laicorum, circa mortuaria, immunitati Ecclesiasticæ libertatis adversetur*, ut videtur colligi ex c. *Cum Laicis*, 12. de rebus Ecclesiæ non alienandis ad finem: Antonium Naldum in Annotationibus practicis ad varia jura Pontificia, ad cit. locum insinuare singularem doctri-

nam Cajetani in Summula, V. *Excommunicatio*, cap. 31. ubi pro intelligentia hujus literæ, ait, *id procedere in mortuariis ordinatis per se ab Ecclesia ad salutem defuncti, seu cultum divinum: secus autem de per se ordinatis ad honorem temporalem*; ut sunt sumptuosa sepulchra, multitudo crucum, varietas Religionum, copia numerosa luminarium, & similia, in quibus immunitas Ecclesiastica non læditur ex ante dicto, vel simili statuto Laicorum.

§. 4.

An extrema unctio dari possit à Presbytero, nullo alio presente Clerico?

DUbitationis ratio esse potest ex verbis: B. Jacobi, in ejus Epistola c. 5. ibi: *infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesia*, ubi verbum *presbyteros* pluralem explicat; ex hoc enim deduci videtur, hoc Sacramentum ministrari debere à pluribus Presbyteris; & ideo in Ecclesia Orientali (ut notat Gonzalez in c. *Quæsit*, 14. h. t. n. 4.) consuetudo est, ut septem Presbyteri Sacramentum hoc extreme unctiois infirmis conferant: econtra vero Alexander III. in cit. c. *Quæsit*, expressè resolvit, quod *Sacerdos, uno presente Clerico, & etiam solus, infirmum ungere possit*; rationem dat D. Thomas contra Gentes, c. 83. ex eo, quod, licet unus solus Presbyter adsit, intelligatur hoc Sacramentum perficere in virtute ipsius Ecclesie, cujus Minister extitit, & cujus personam gerit.

Nec obstat ratio in oppositum num. 2181 priori. Quia in sacra pagina frequenter *sub plurali numero*, non pluralis, sed singularis persona, vel personæ qualitas significatur. Sic apud S. Lucam c. 17. dum dicitur: *ne, & ostendite vos Sacerdotibus*, verificatur, quod *alicui de sacerdotibus* se ostenderint; & illud apud D. Paulum ad Hebræos 11. v. 83. *Obscuraverunt ora leonum*, verificatur in solo Daniele. Similiter apud Matthæum c. 17. & Marcum, 15. dicitur, *latrones cum Christo crucifixos*, imbecillitate illius exprobrasse; & tamen hoc fecit tantum unus, ut testatur D. Lucas, 23. v. 39. *unus autem de his, qui pendebant*, blasphemabat eum. Et ideo etiam apud D. Matthæum c. 26. licet dicatur: *videntes autem discipuli indignati sunt*; pluralis stat pro singulari; siquidem solus Judas indignatus est; ergo etiam illud: *inducat Presbyteros*, rectè exprimitur de uno, ut sensus sit

ut inducat unum ex Presbyteris, præsertim cum sic accipiat ipse Papa, & probet recepta praxis Ecclesiæ.

S. 5.

An inter Festum B. Mathie, & Vigiliam, alia dies, quàm Dominica, intercedere possit?

2287 **V**ideretur dicendum negativè ex c. *Quæsitum*, 14. §. *Festum*, h. t. ibi: *Festum beati Mathie, juxta consuetudinem ecclesiasticam, Vigilia eatenus præcedat, ut nec pro bissexto, nec quolibet alio modo inter se, & solemnitate aliam diem admittat; in qua utique (nisi Vigilia venerit in dominica die) jejunium celebretur.* Nam in hoc textu Vigilia sic præcedere debet, ut etiam in anno bissexto inter ipsam & solemnitate alium diem non admittat; & insuper additur, *in Vigilia, (nisi venerit in die Dominica) jejunium celebretur.* Ex quo sequitur, si Festum Sancti Mathie venerit in die cinerum, Vigiliam, & jejunium (vi hujus textus) celebrandum feriâ tertiâ antecinerarium, nec posse transferri in Sabbathum præcedens.

2286 Hoc confirmari potest ex Decreto Congregationis Sacrorum Rituum, dato 23. Januarii 1694. quod sic habet: *Quæsitum fuit à Sacrorum Rituum Congregatione, declarari; an vigilia Sancti Mathie Apostoli, occurrens hoc anno in feria tertia, post Dominicam Quinquagesimam, possit (ratione carnis privi) anticipari cum jejunio? & eadem Sac. Congregatio respondit negativè, & jejunium prædictæ feriæ tertiæ omnino servandum.* Die 23. Januarii 1694. quod de mandato Archiepiscopi, & Metropolitanæ Salisburgensis in ejusdem civitate repressum fuit.

2287 Sed tamen verum sit, non modò non debere *vigiliam* sic præcedere solennitatem festi (nisi cadat in dominicam) ut alia dies intercedat; adeoque nec jejunium in diem aliquem præcedentem (extra casum dominicæ) transferri, *loquendo regulariter*, ut liquet ex cit. §. *Festum*: hoc tamen intelligi debet, nisi justa, & gravis causa, in aliqua dioecesi, provincia, aut regno, contrarium prudenter suadeat. Nam, ubi est evidens periculum, quòd, si vigilia tali die cum jejunio celebretur, magna, imò potior pars dioecesanorum, provincialium, vel regnicolarum, ex usu, & consuetudine inveterata, vix abstinebit

Tom. V.

ab esu carniùm, minus à secunda refectio-
ne; dioecesani justam, & gravem causam
habent vigiliam transferendi in alium diem,
quo morali certitudine lex jejunii non ex-
ponatur tam evidenti periculo certæ trans-
gressionis. Nec jus merè humanum cum
tanto rigore in ejusmodi tam patenti cir-
cumstantia, translationem recusare, credi
potest.

Certum autem est, quòd feriâ tertiâ, 2288
ante diem cinerum, ex communissimo
jam usu, & consuetudine lætitiæ, & festi-
vitatum (quibus in certis provinciis non
modò populus, sed etiam status illustris,
indulgere solet, ab immemoriali tempore,
per epulas, choreas, rhedationes, ludos
comicos, & similia) sit evidens pericu-
lum non servandæ legis per abstinentiam à
carnibus, minus à secunda refectio-
ne (cum in his provinciis planè notorium sit, eo die
agi omnia liberalissimè, etiam à plebe) ju-
stam sanè & gravem causam habent diæce-
sani (ne scilicet lex potius sit in destructio-
nem, & ruinam, quàm in ædificationem)
vigiliam cum jejunio transferendi in alium
diem, quo illi morali certitudine sua ob-
servantia præstetur, sine ullo periculo cer-
tæ transgressionis in majori parte talis loci.
V. n. 2496.

Nec obstat decretum S. Congregatio-
nis. Hoc enim plus non vult quàm respon-
dere ad quæsitum indefinitè propositum:
*an vigilia Sancti Mathie, occurrens anno
1694. in feria tertia post dominicam quinquagesimam possit ratione carnis privi anticipari
cum jejunio?* quæ quæstio, cum generaliter
procedat, nec exponat circumstantiam
evidentis periculi de illius transgressione in
certis solum Nationibus (nec enim ubique
cum illis lætitiis, ac lætitiæ excessibus feria
tertia dierum antecinerarium celebratur)
solum generaliter respondit: eo præcisè titu-
lo, *quòd in vigilia tali die occurrat, jejunium
prædictæ feriæ tertiæ non omittendum, sed
omnino servandum*, adeoque nec vigiliam
transferendam. Nam verissimum est, non
cessare universim obligationem jejunii ex
ea præcisè occurrence, sed omnino debe-
re servari, sed (ut contingit in omni jure po-
sitivo humano) *justa limitatione*, nisi pro
certis circumstantiis occurrat justa & gravis
ratio aliter disponendi; & ideo non conti-
ner ullam prohibitionem, ne Ordinarii lo-
corum (ubi fuerit tale periculum tam uni-
versale

Sss

verfale

versale) faciant translationem vigiliæ cum jejunio.

§. 6.

An beneficium Principis contra jus commune, habeat latam interpretationem?

2290 **A**ffirmativa suadet ex pluribus utriusque juris textibus, quos congerit Gonzalez in c. *olim*, 16. de Verbor. significat. ubi, cum Innocentius III. mandasset Capitulo Paduano, ut Magistro G. præbendam, & manualia beneficia (*quæ tantum residentibus dari solbant*) conferrent, & ipsi malitiosè gratiam istam interpretantes, assererent, se non teneri mandatum adimplere, quia ipse Magister non residebat; consultus idem Pontifex pro explicatione hujus gratiæ, rescripsit, quòd, cum beneficium Principis latissimè sit interpretandum, dicto magistro præbenda, quæ tantum residentibus in victu, & vestitu assignatur, erat conferenda. Ex quo responso Pontificio sic arguitur: Hoc beneficium erat latissimè interpretandum, licet esset contra jus commune. Nam secundum jus commune præbendæ, quæ in victu, & vestitu consistunt, tantum divinis officiis interessentibus, non verò absentibus assignari possunt ex c. *unic.* de Cleric. non resident. in 6. ergo beneficium Principis, etiam contra jus commune, habet latam interpretationem.

2291 Hoc Papæ rescriptum, & ratio decisionis in eo contenta variis modis exponitur à Doctoribus, qui juris oppositi consideratione volunt, beneficium, seu privilegium contra jus concessum non latè interpretandum, sed restringendum esse per clarum textum in c. 1. & 2. de Filiis Presbyter, in 6. item c. Quod dilectio 3. de consang. & affin. ubi Cœlestinus III. ad quæstionem, utrum is, qui à stipite per descendentem lineam, sexto vel septimo gradu distat, possit ei, qui ex altera parte per lineam descendentem ab eodem stipite, secundo, vel tertio gradu distat, matrimonialiter copulari propter indulgentiam Apostolicæ Sedis Legati, quia permissum est hominibus terræ illius in sexto gradu conjungi? Quod videtur posse fieri secundum regulam, quæ dicitur: quoto gradu quis distat à stipite, & à quolibet, per aliam lineam descendentium ab eodem: cum tamen de consuetudine terræ, si quando talis casus emerferit, incolæ propter proximiorum gradum conjunctos separent & impediunt copulari volentes: respondit: quòd indulgentia illa sic est in-

telligenda, quòd uterque conjungendorum distet à stipite sexto gradu. Si verò sexto vel septimo gradu distet à stipite, alter autem secundo vel tertio, conjungi non debent, unde in hac parte consultus diximus multitudini & observatæ consuetudini deferendum, quam aliud in diffinitionem, & scandalum populi statuendum, quadam adhibita novitate: beneficium autem, de quo in præfenti, esse contra jus commune, probant primò ratione adducta num. præced. deinde ex eo, quòd collatio præbendarum ad Capitulum spectet, ut colligitur ex c. 1. Ne Sede vacante, adcoque dictis Canonis magnum præjudicium caufaretur.

Glossa in cit. c. *olim*, omnino defendit, beneficium in terminis illius textus latissimè accipiendum fuisse; quia Pontifex sic voluit; cui Panormitanus, improbens istum intellectum, opponit, quòd summus Pontifex ferè semper respondeat juxta jus commune, ut dicitur c. *in causis*, 20. de rejudicat. ibi: *in causis, quæ summi Pontificis judicio deciduntur, & ordo juris, & rigor æquitatis est subtiliter observandus. Cum in similibus casibus ceteri teneantur similiter judicare.* Nisi fortè cum aliquid (causa necessitatis & utilitatis inspecta) dispensativè duxerit statuendum: & jus commune doceat, beneficium Principis strictè interpretandum esse; ut habetur L. 2. §. *si quis à Principe*, & §. *merito*, ff. ne quis in loco publ. & alibi passim: Sed ad hoc respondetur, verum esse, quòd Princeps ferè semper respondeat juxta jus commune, nisi exprimat contrarium, prout factum est in præfenti, ut habet textus, ibi: *quæ tantum residentibus conferuntur.*

Panormitanus docet, hanc dispositionem Papæ non fuisse beneficium juri communi contrarium, sed secundum jus fuisse; quia hic Magister absens erat in servitio Episcopi, vel Pontificis; consequenter juxta jus commune pro præfenti habendus erat, juxta c. 7. de Cleric. non resident. Verum si hæc ratio erat, Pontifex in interpretatione illius gratiæ, usus esset dispositione juris communis in cit. cap. si ita fuisset; quòd tamen non fecit, sed usus est jure communi de Principis beneficio latissimè interpretando, ut ostendunt textus varii in c. *si quem*, §. *Prævaricator*, 2. q. 3. c. *Frater*, 16. q. 1. c. 1. de usu, & auctor. pall. c. *Cum dilecti*, de donat. & c. & c.

Alii

2294 Alii volunt in hoc c. non agi de privilegio, ut absenti darentur beneficia manualia, seu, ut exponit Gonzalez ibidem, distributiones quotidianæ; sed de mandato ad executorem directo, ut Magistro G. jam in Canonico recepto in Ecclesia, in qua non erant præbendæ definitæ, aut numeratæ, ut advertit Gloss. penult. & complures alii apud Barbof. in cit. c. *Olim*, n. 5. conferatur præbenda, juxta mandatum ante factum, de communibus proventibus ejusdem Ecclesiæ, perinde, ac illam habent alii Canonici inservientes. Sed etsi hoc sit valde verosimile, adhuc tamen stat resolutionis difficultas etiam de tali mandato. Nam ejusmodi mandatum, ac literæ, quantumvis dicantur beneficium Principis, tanquam ambitiosæ, adversantes juri communi, & parientes præjudicium tertii, restringi debent; juxta c. *Quamvis*, 4. de Præbendis in 6.

2295 Gonzalez cit. n. 4. verius judicat, in præsentis casu ideo fieri latissimam interpretationem, quia non agebatur de privilegio, nec mandato utcuque, & simpliciter, sed *mandato de providendo, quod ex motu proprio summi Pontificis emanavit*. Ex quo fit; juxta hunc Authorem mandatum de providendo ex motu proprio, quantumvis contineat executionem juri communi repugnantem, & tertio præjudiciosam, habere latam interpretationem; id, quod cæteris probabilius videtur.

2296 Nec obstat 1. inquit ille, quod etiam in hoc mandato præjudicium Canonico- rum versetur, eò, quod ipsi de jure communi poterant præbendam conferre, ideoque mandatum hoc esse odiosum: nam hoc non est considerabile, quando summus Pontifex concedit simile mandatum; quia ipsi Pontifici competit suprema beneficiorum dispensatio secundum idem jus commune, c. 2. de præb. in 6. & c. *Dudum* 14. eod. lit. & lib.

2297 Nec obstat 2. juxta dictum Authorem cit. n. 5. quod varia dentur jura, in quorum aliquibus dicitur: privilegium Principis esse strictè; alia, in quibus docetur, late interpretandum. Nam hæc jura in speciem contraria reducit in concordiam dicendo: discrimen esse consulendum inter privilegium, seu beneficium, quod alicui conceditur cum tertii præjudicio; & inter illud privilegium, quod aliquid præter jus continet, ex quo nulli præjudicium sequitur; Tom. V.

quo posito: concludit primo casu quodlibet beneficium, seu privilegium, strictè interpretandum esse, juxta L. *penult.* de constitut. & jura id enuntiantia: in secundo verò casu amplè, & plenissimè interpretandum in eodem casu, vel personâ, de qua loquitur; non autem extra casum, vel personam in beneficio expressam, ut habetur c. 7. de Privileg.

Verum esto secunda pars hujus doctrinæ rectè procedat; in prima tamen non videtur consentanea terminis, quibus docuerat, beneficium Principis continens mandatum de alicui providendo, profecto ex motu proprio Papæ, quale fuit illud, de quo in præsentis agitur; hoc enim concedit habere latam interpretationem, esto fuerit contra jus commune, & in præjudicium Canonico- rum Ecclesiæ Paduanæ.

Videtur igitur dicendum, jura, quæ docent, beneficium Principis habere latam interpretationem, non solum quando est præter jus, & nullum continet alterius præjudicium; sed etiam, quando contra jus commune, & in præjudicium tertii, quando illud conceditur motu proprio, ex certa scientia, cum expressione, quod non obstante præjudicio (quod aliis per hoc fieret) velit illud executioni dari, aut non impediri ab illis, quibus præjudicare videtur; jura verò contraria, quæ docent, beneficium Principis strictè interpretandum, contra jus commune, ac in præjudicium alterius, si conceditur solum simpliciter, sine dictis clausulis; alias enim jura indefinitè loquentia ex tali interpretatione, sine ulla urgenti correctionis ratione, per jura opposita solum ad certam speciem beneficiorum restringentur, quod tamen maxime cavendum est.

§. 7.

Quando interdictum locale dici debeat generale, vel particulare?

2300 Quid, & quotuplex sit interdictum, constat ex dict. à n. 2104. quibus adde ex Suarez de Cens. D. 32. sect. 2. n. 9. interdictum, contra hanc civitatem, servare rationem interdicti generalis, quamvis ab illo unum, vel alterum templum excipiat; e contra interdictum templorum servare rationem specialis, si in sola templa hujus civitatis, & non in alia loca feratur. Generale personale respicit aliquod corpus politicum collectivum plurium personarum, & personas singulas solum, ut sunt partes talis communitatis. Speciale perso-

personale in determinatam, vel determinatas personas fertur, ita ut ad singulas per se, & ad omnes (ut ajunt) per modum plurium tendat. Interdictum, quod fertur in collegium, vel academiam alicujus populi, generale est. Hæc Percyra in Elucidario l. 3. elucidat. 7. f. 4. à n. 1743.

- 2301 Ex his deducitur resolutio dubitationis, quam olim Episcopus Calubriensis Alexandro III. proposuit, ut habetur c. *Cum in partibus*, 17. h. t. quandonam interdictum censi debet *generale*, quando *particulare*? Ratio dubitandi erat, quod privilegiati dicerent, *interdictum terræ* duntaxat, generale esse, cum Regnum, vel Provincia tota interdicto subjicitur; rescriptit autem Pontifex, ut notat Panormitanus hic, n. 1. quod *particulare* interdictum dicatur, quando vel plures Ecclesiæ *specificæ*, & non sub nomine Universitatis interdicuntur; *generale* verò, quando *Universitas unius loci* interdicatur, sive parvus, sive magnus sit, ut est *villa, castrum*; de quo V. plurà à n. 2107.

§. 8.

Quid importet clausula: per censuram Ecclesiasticam compellas?

- 2302 CUM frequenter contingat in constitutionibus, & rescriptis Apostolicis apponi hanc clausulam: *per censuram Ecclesiasticam compellas*, dubitatum fuit à Priore S. Fridiani, quid per eam vocem (*Ecclesiasticam censuram*) intelligatur? respondit Innocentius III. ut notat Wagnereck in Exegeſi ad c. *Quarenti*, 20. h. t. per eam non solum interdicti, sed suspensionis, & excommunicationis sententiam posse intelligi, nisi Judex discretus, rerum, & personarum circumstantiis indagatis, ferat, quam magis viderit expedire.

- 2303 CUM autem censuræ non ferantur unicè in vindictam delicti, sed etiam medicinæ causâ (ut in delictis contumaciter perseverantes, hæc poenâ medicinali curentur, & ad sanitatem animæ reducantur, ut ait Panormitanus in cit. c. 20. h. t.) Judex, qui pollet potestate imponendi diversas poenas, eam eligere debet, quæ consideratis rerum, & personarum circumstantiis, magis expediens videbitur, ut dicitur in cit. c. *Quarenti*, 20. h. t. Hinc, ut rectè notat Wagnereck ibidem, eam debet imponere, *quæ magis timetur*, quod procedit de valde pertinacibus; nam poenæ, quæ non ti-

mentur, vix retrahunt à culpa. Ubi autem pertinacia magna non est, præstatinchoarè à mitioribus; ubi enim statim ad extrema proceditur, plus indiscretionis, minus fructus est.

Tametsi autem, ut constat ex Panormitano citato n. 4. in omnibus ferè delegationibus apponatur hæc clausula (*ut contradiutores per censuram Ecclesiasticam compescantur*) delegati tamen potestas per eam clausulam non ita restringitur, ut aliter cogatur imponere censuram, quam velit, ac expediens videatur. Et ideo etiam potest procedere etiam ad alias poenas jure non expressas, sed arbitrarias, arg. c. *de causis*, 4. §. *Illis*, de offic. delegati, ibi: *illis etiam, qui pro causis tibi commissis ad citationem tuam venire, aut tuo super his parere judicio neglexerint: si tale fuerit negotium, quod certa exinde poena in Canonibus exprimat, eandem infligas, alioquin ipso pro delicti qualitate & causa secundum tuum arbitrium punire procures*; id quod etiam dicitur in L. *Voica*, ff. de his, qui jus dicenti non obtemp.

Ex eodem c. *Quarenti*, deducitur, sub nomine *censuræ* non venire irregularitatem; quarenti enim Episcopo Carotenisi significationem hujus vocis *Censuræ*, Pontifex exponens totam ejus significationem, nihil omnino meminit de irregularitate, id quod fusè deducit Gonzalez ad cit. c. *Quarenti* à n. 1. Similiter, sub nomine *cenſuræ*, vel *interdicti* (quatenus hoc habet rationem *cessatio à divinis*) non venit *cessatio à divinis*, ut rectè notat Navarr. in Manual. c. 27. à n. 164. & alii. de quibus supr. n. 1609. in fin. Ratio hujus est ex sequentibus in n. 2307. Cæterum *cessatio à divinis*, quam alii *suspensionem organorum* vocant, per allusionem ad Psalm. 139. *suspendimus organa nostra*, sic definitur à Navarro cap. 27. n. 188. *Cessatio à divinis est quadam desistentia à divinis officiis, & administratione Sacramentorum; sub præcepto obligans*. Est enim, inquit Suarez de Cenſ. D. 39. S. 1. *morale vinculum, seu præceptum*, quo obligantur Ministri Ecclesiæ ad cessandum à divinis; & illud imponitur, nocentibus in signum doloris, seu afflictionis Ecclesiæ, quamvis inde resultet aliqua poena in innocentes; nomen habet ab effectu, scilicet *cessandi à divinis*.

Divinorum nomine (ut docet Suarez cit. S. 2. n. 1. & 2.) veniunt divina officia, sub quibus comprehenduntur Missæ celebratio, horarum Canonicarum publica reci-

recitatio, omnes solemnnes benedictiones, & caeremonia, quæ in Ecclesia fiunt, Sacramenta, & Ecclesiastica sepultura, quibus omnibus privat cessatio à divinis. Privata autem orationes etiam in templis, & privata recitatio horarum Canonicarum non prohibentur; quæ prohibitio directè cadit in Ecclesiasticos Ministros, & consequenter in Laicos, ne audiendo participant.

2307 Hæc cessatio est valde affinis interdicto locali; quia in utroque ferè similia prohibentur; differunt tamen primò, quia non est *cessatio*; imò non habet propriè rationem *pænae*; cum non tendat directè ad aliquod crimen puniendum, sed solùm assumitur in signum gravissimi mœroris, quem Ecclesia concepit, ob enormem injuriam honori divino illatam, quam significationem exhibet per modum justæ defensionis, ut cogat lædentem ab injuria desistere: at interdictum locale, *cessatio est*, & fertur per modum *pænae*; Secundò quia cessatio nullas unquam personas secundùm se afficit, sed solum prohibet certo loco divina celebrari, unde per illam præcisè nullus prohibetur celebrare divina in aliis locis: at interdictum locale secundùm se afficit personas illas, nempe, quæ interdicto causam dederunt: tertio quia per violationem cessationis nulla irregularitas incurritur; sed per violationem interdicti.

2308 *Interdictum autem ab ingressu Ecclesie*, juxta Pereyram cit. n. 1747. est *cessatio*, & peculiare genus interdicti, spectans ad personalia, ab aliis personalibus differens quòd partiale sit, & fortè addat aliquem effectum, quem non habent reliqua personalia. Unde homini sic interdicto, extra Ecclesiam existenti, licitum non est audire divina, quæ intra illam fiunt. Nam ideò ingressus Ecclesie illi interdicitur, ut divinarum, quæ in ea celebrantur, particeps non fiat. Quare irregularis fiet Diaconus, si vel existens extra Ecclesiam cantet solemniter Evangelium ministrando Sacerdoti celebranti in Ecclesia: vel econtra in Ecclesia illud cantet ministrando celebranti extra Ecclesiam.

2309 Quamvis autem communior, favorabilior, & fortè in praxi secuta sententia sit, hujusmodi privationem ingressus Ecclesie, solùm esse ad celebranda, audienda, vel recipienda Divina; non verò ad privatas orationes fundendas: tamen vera

opinio docet privationem illam extendi etiam ad orationes privatas, sumitur ex c. *Latores*, 33. q. 2. Ad alias actiones, quæ non sunt proprii muneris Ecclesie, ut ad audiendam concionem, faciendam electionem, & similes non extenditur prohibitio. Hæc ex Suarez D. 35. S. 4.

Ex dictorum occasione, not. præte. 2310 rea suspensionem, quæ fertur unice in *pænam*, seu vindictam criminis, esse quidem pœnam, non tamen venire sub nomine *cessationis* ex n. 2050. Talis est suspensio c. *Cum in cunctis*, §. *fin.* de Elect. ubi scienter eligentes indignum, per triennium suspenduntur, & in c. 2. de Rebus Eccles. in 6. ubi similis pœna imponitur Prælati, qui bona Ecclesie Laicis subjiciunt, de quibus V. Navarrus cit. à n. 154. & Ugolinus de Censur. tab. 4. c. 3. econtra suspensio in c. *Nullus* & in c. *Præter*, dist. 32. ubi *Sacerdos, notorius fornicator, ipso jure suspenditur, donec poeniteat*, est *cessatio*; quia hæc principaliter fertur in *pænam* non utcumque, sed *medicinalem*, donec poeniteat; ut etiam habetur c. *Si quis Presbyter*, dist. 81. Hinc fit, violantem suspensionem, quæ est *mera pœna*, non fieri irregularem; scilicet, quæ est *cessatio*, per c. *Vestra*, & c. *fin.* de Cohabitat. Clericor. V. Suarez D. 31. f. 4. à n. 4. & alii.

§. 9.

An degradatio fieri debeat vocato Judice seculari?

DE hoc agitur in c. *Novimus*, 27. h. t. 2311 ubi Pontifex, expositurus, quid significetur, cum in antiquis Canonibus dicitur, *ut clericus per Ecclesiasticum Judicem degradatus, seculari tradatur Curia puniendus*, respondit sequentia 1. Clericum degradatum, *tantum exutum privilegio Clericali*, per consequentiam seculari foro applicandum; cum *ab Ecclesiastico foro fuerit projectus*; 2. ejus degradationem celebrandam esse, *præsente seculari potestate, ac præannuntiandum esse ei, cum fuerit celebranda, ut in suum forum recipiat degradatum*; & sic intelligi, *Curia tradi seculari*. Tertio, quod Ecclesiasticus Judex, prædicto modo degradatum tradens Curie seculari, debeat *efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum circa eum sententia moderetur*.

2312 Circa præsentem materiam de Clericis sceleratis, quomodo cum illis agendum sit Judici Ecclesiastico, specialiter

agitur c. *Cum non ab homine*, 10. de Judiciis; ibi enim præscribitur ordo in accremento poenarum; quamvis, si incorrigibiles sint, aut enormium criminum convicti, non tantum deponantur *verbaliter*, sed etiam *realiter*, & seculari Curia tradantur puniendi, ut ex textu hujus c. deducit Gonzalez ibidem n. 10. ubi notandum, olim ante decretalam in c. *Novimus* contentam, duplicem fuisse sententiam de *degradatione*. Prima erat, *degradatum*, ipso facto per consequentiam tradi foro seculari, cum episcopo ejiciatur de foro Ecclesie; secunda, opus fuisse *traditione verbali*, quæ sufficienter fiebat, si degradatio celebranda, Judibi seculari nuntiata, ut eum in jus suum recipiat, & eo præsentate celebrata fuit: & hunc secundum modum observari Pontifex voluit in hoc c. *Novimus*.

2313 Panormitanus hic n. 7. censet, repugnare huic decretali, si degradatus nec *verbaliter* traditur iudicio seculari, nec Ecclesia pro ipso intercedat *serio*. Primum enim expressè opponitur textui, ibi: *celebranda est, seculari potestate præsentate; & pronuntiandum, ut in suum forum recipiat eundem*; Secundum autem illis verbis: *Ecclesia debet efficaciter intercedere*; cui tamen satisficit, si dicat: *degradatum, tanquam ejectum de foro Ecclesie, relinquo foro ipsorum*; & cum multæ sint poenæ, quæ non sunt *mortis*, aliquâ poenâ simili puniendum, v. g. perpetui carceris, *pane doloris*, & *aqua angustia* sustentandum, ut *commissa desinat, & stenda non ulterius committat*.

§. 10.

An absenti pro causa necessaria currat tempus?

2314 **C**asus procedit de missio in possessionem custodiae causâ. Negativa suadet ex c. 1. de eo, qui mittitur in possessionem rei servandæ causâ; ubi dicitur: *Nisi intra annum pars adversa præstiterit cautionem, quod juri stare velit, cedere possessione penitus cogatur, salvo tamen petitorio*. Hinc cum non tantum Archi-Episcopus Turoniensis (pro causa necessaria futurus absens) sed etiam pars adversa à Pontifice indulgentiam petiisset, ut ne in absentia juri possessionis recuperandæ officeret, utrique Pontifex annuit. Quia verò Archi-Episcopus post reditum ostendit, vel jam prius abeuntem, vel post reditum, effluxisse annum integrum, intra quem pars adversa dictam cautionem non obrulit, cum Epi-

scopus facile conveniri potuisset, Pontifex Archi-Episcopo causam possessionis adjudicavit, ut habetur in c. *Dilecto*, 28. h. t.

Ex hoc textu colliges 1. quod *absenti pro causa necessaria non currat tempus*, seu non computetur tempus, quod durante tali causâ, effluit; hinc, si cui res aliqua detur in possessionem custodiae causâ ad unum annum, si à die captæ possessionis elabantur menses duodecim, sed omnes, dum ex causa necessaria absens esse cogebatur, dicti menses non computantur, ut dicatur possedisse *per annum*; cum tempus, quo conveniri non poterat, eidem non computetur ad possessionem annum.

Collig. 2. partem adversam, cujus res alteri data est in possessionem unius anni custodiae causâ, amittere, seu cadere in possessorio iudicio, si possessor ostendat, quod dictæ possessionis annus integer elapsus sit, intra quem non præstitit cautionem, quod velit iudicio sisti; idque propter suam negligentiam, cujus effectum sibi imputare debet, ut constat ex casu dicti c. *Dilecto*.

Collig. 3. ex hoc, quod in cit. c. *Dilecto* edicatur: *declaramus, quod nostræ intentionis non fuit, per ipsam indulgentiam (ut lapsus temporis, propter absentiam ex causa necessaria non officeret) jus perimere, quod tibi competeat, ex possessione præterita*, Covarruviam in reg. *Possessor* p. 2. n. 3. & alios velle, quod possessio sit *jus*; contrarium tamen, nempe, quod possessio sit *facti*, & non *juris*, velle Petrum Gregor. in Syntagm. juris, l. 1. c. 13. n. 6. & alios: quosdam autem, quod possessio *plus habeat facti, quam juris*, juxta c. *Cum nostris*, 6. de Concess. præbend. ubi Præpositus alicujus Ecclesiasticæ dignitatis, etiam postquam in Episcopum electus, & consecratus est, illam dignitatem *facto*, non *jure* retinuit, & possedit.

Præter hos nonnulli volunt in possessione aliquando quidem esse *plus facti, quam juris*, ut docet Cujacius ad L. *Denique*, 9. ff. Ex quibus causis Majores, col. 55. aliquando autem *non factum principalis operari in possessione, sed jus*, per L. *Possessio*, 49. ff. de acquirend. possession. ibi: *plurimum ex jure operatur*. Unde Gloss. in cit. c. *Cum nostris*, V. *plus habet facti*, & Gloss. 1. in regul. *Sine possess.* de reg. jur. in 6. (quas communiter receperant Covarr. cit. n. 3. & §. 1. n. 6. alique) distinguunt triplicem,

plicem, aut quadruplicem modum possessionis.

2319 Hinc docent. 1. aliam esse possessionem, *quæ plurimum habet facti, & parum juris*, & dicitur illa, quam quisque per se ipsum acquirit, & retinet; & sic possessionem accipi in cit. c. *Cum nostris*, & L. *Denique*, de qua Cujacius supr. cit. aliam, *quæ plurimum habet juris, & parum, vel minimum facti*; & est illa, quæ per servum, vel filium famil. ex causâ particulari acquiritur ignorantibus; & sic possessionem accipi in L. 1. *S. item acquirimus*, in L. *quod servus*, 14. ff. de acquirend. possess. acin L. *Possessio*, 49. ff. eod. quæ dicit, quod possessio plurimum ex iure mutuatur: aliam, *quæ habet plurimum juris & facti*, quæ per Procuratorem, aliam personam, vel etiam per filium ex causâ non particulari acquiritur, de qua dicitur L. 1. C. de acquirend. possess. ibi: *eam ratione utilitatis, quam jurisprudentiæ*: aliam, *quæ habet plurimum juris, & nihil facti*; & contingit, cum Legis ministerio transfertur absque facto ejus, cui possessio acquiritur, juxta L. *quod meo*, ff. de acquirend. possess. quibus prænotatis:

2320 Dicendum in cit. c. *Dilecto*, 28. h. t. re. cte dicit, non fuisse de mente Pontificis perimere jus, quod habuit Archi-Episcopus Turonensis contra Venetos ex præterita possessione; hæc enim *plus juris habebat, quàm facti* cum, non obstante beneficio temporis non computati, seu non currentis propter absentiam ex causâ necessaria, jus possessionis, ministerio legis eidem firmatum sit, eo, quod pars adversâ intra spatium anni, ubi poterat, & debebat ad possessionem recuperandam, cautionem debitam non præstiterit. Ex quo colligitur, posse dari beneficium Principis, *ne tempus elapsum noceat*, illudque vocari solere *reparationem temporis*, ut habetur L. 11. C. de temp. appel. ibi: *à nostro Numine reparationem peti præcipimus*; id, quod contingit, cum quis intra præfinitum tempus aliquid agere deberet, & justâ, gravique causâ impeditur, v.g. *propter absentiam* ex causâ boni publici, &c.

S. 11.

Ex quibus oblationibus tertia pars debeatur Episcopo, vel Ecclesia Parochiali?

2321 Hæc quæstio, uti priores, nascitur ex controversia super significatione verbi *oblatio*: subortâ enim lite inter ali-

quos, quibus tertia pars oblationum obveniebat; & illos, qui dare tenebantur, quæsitum fuit. 1. *an sub nomine oblationum veniant ea, quæ ipsi Capelle in festivitate omnium Sanctorum metuntur, vel portantur ad illam, seu ad domum Sacerdotis ejusdem, intuitu defunctorum, nec non, quæ in cimelini (lege cimelio) ponuntur, quod de altari suscipit, quæ ante Crucem, vel in Missa Trinitatis, & ea, quæ pro desponsatis canitur, & lampades cum oleo, quæ prædictæ capelle ab aliquibus offeruntur, vel quæ dantur nuntio, qui ad recipienda talia pro præfata capelle Parochia destinatur.*

Secundò, an sub eodem nomine oblationum (de quibus tertia pars solvenda erat) veniant *primitiæ, & decimæ*, vel ea, quæ offeruntur pro missis mortuorum Sacerdotibus, quæ pro septimis, & tricesimis, & anniversariis, panni, & alia, quæ infra hebdomadam offeruntur, & mortuorum judicium? &c. Consultus igitur Pontifex, ut habetur in c. *Cum inter vos* 29. h. t. (ut hujusmodi scandalorum materia, toties pullulantium, radicitus evellatur) rescripsit: *volamus & mandamus, ut per Clericum à vobis in eadem Ecclesia institutum, de omnibus prædictis, & de aliis oblationibus, quocunque titulo ad Ecclesiam ipsam pervenerint, sine diminutione aliqua, integrè tertia vobis portio persolvatur.* Ex quo textu clarè sequi videtur, *Ecclesiam, quæ habet onus ex oblationibus sibi factis, præstandi alteri tertiam earum partem, referri ad eam præstandam de omnibus, quæ ipsi quocunque titulo offeruntur.*

Sed not. quod extet alius textus in c. 2323 *Ex parte vestra*, 31. h. t. in quo habetur sequens casus: Cum Patriarcha Constantinopolitanus obtentu cujusdam Constitutionis, à Legatis Apostolicis factæ, de quibusdam, quæ aliis Prælatibus, earumque Ecclesiis legabantur à decedentibus, tertiam partem exigeret; Legati vero interpretarentur, se non intellexisse, quod de his, *quæ in ornamenta, vel ad fabricam Ecclesiæ reparatione indigentis, aut Ecclesiæ luminaria, nec non pro his, quæ in anniversario, septimo, tricesimo, ac vicesimo faciendis, vel de his, quæ personis specialiter (nisi fiat Ecclesiæ ratione) à quocunque legentur, aliqua deberet solvi portio Ecclesiæ (Patriarchali) seu Cathedrali.* Pontifex hanc interpretationem ratam habuit, & observari præcepit.

Ex hoc enim sequi videtur, nomen *oblationum*, quæ subjectæ sunt præstandæ tertiæ

tertiæ parti, non sumi adeo *amplè*, ut in c. *Cum inter*, de quo *supr.* n. 2322. Sed advertendum, quòd in c. *Cum inter* 29. sermo sit de tertia *oblationum*, in c. *Ex parte*, 31. h. t. de tertia *mortuorum*. Hinc quod resolutum est in illo, intelligendum venit solum de *oblationibus*, seu his, quæ DEO, vel Ecclesiæ, ejusve Ministris *voluntariè* exhibentur; istud autem de *mortuariis*.

2325 Not. autem 1. per *mortuaria*, seu *funeralia* intelligi omnia, quæ spectant ad funus, unde funeralium appellatione veniunt imprimis omnia, quæ cum funere deferuntur; Stephan. Gratian. *discept. foren.* c. 29. n. 17. Tambur. de *Abbat.* D. 15. q. 17. n. 3. Lator. tit. 2. c. 17. n. 19. & 20. ubi subdit, quòd *funeralia* hodie dicantur candelæ, quæ accenduntur circa cadaver, macceries omnis, quæ supra castrum doloris, & corpus construitur, pannus, sive laneus, sive sericus, etiam auro contextus, quo feretrum tegitur, & omnia, quæ computantur cum funere, & pro eo ab hæredibus in Ecclesiâ præparantur. Not. 2. cum Latorio tit. 2. c. 3. n. 191. & Azor p. 2. l. 9. c. 14. q. 13. *vers. funeralia*, non solum venire omnia, quæ cum funere deferuntur, sed etiam omnia, quæ Ecclesiæ obveniunt ratione funeris, sive antequam corpus sit in terra conditum, sive post, & usque ad trigessimum diem.

2326 Hinc exponi potest quarta mortuorum, seu funeralis, quæ sic describitur à Molina tr. 2. D. 515. *init.* De jure communi (inquit) Episcopis de omnibus relictis per ultimam voluntatem, Monasteriis, Ecclesiis, piis locis ipsi subiectis, itemque de oblationibus omnibus funeralibus, debetur certa portio; quæ diversis temporibus fuit diversa, aliquando tertia pars, aliquando quarta, & aliquando dimidium, ut constat ex c. *de his*, c. *antiquas*, c. *decernimus*, 10. q. 1. Hinc effectum est, ut pro regionum varietate usus obtinuerit, ut in aliquibus haberent tertiam, in aliquibus quartam, in aliquibus dimidium, & in aliquibus plus, vel minus, ut patet ex c. *officii*, c. *requisivisti*, de *testam.* Sed standum in his est consuetudini cujusque regionis, ut habetur c. *certificari*, de *sepult.* In dubio, quanta debeat pars? censendum est deberi quartam.

2327 His aliqui addunt portionem *luctuosam*, quæ ex luctu propter mortem defuncti suborta denominatur, & à Molina tr. 2. D.

147. explicatur, diciturque ab eodem D. 215. successisse quartæ funerali jam omnino abolitæ, daturque, quando beneficiarius moritur. Episcopus enim de mobilibus, aut de se moventibus bonis talis beneficiarii, exigit rem unam, quam vult, sive illa mancipium sit, sive mala, aut quævis alia pretiosa res mobilis, & hanc luctuosam vocant. Quibus positis, & si ex professio alibi super hoc agatur, quantum in præsens attinet.

Not. 3. ex vi c. *Cum inter*, 29. h. t. c. 21. cui debetur tertia pars *oblationum*, omnino deberi tertiam partem omnium eorum, de quibus textus ibidem loquitur à nobis relatus à n. 2322. quando habent rationem oblationis, hoc est donationis voluntariæ, secus si dationis necessariæ, ut sunt funeris expensæ, ac stipendium ministrorum.

Not. 4. constitutionem de solvenda Episcopo, vel Ecclesiæ parochiali, tertia, vel quarta funeralium, non intelligi de relictis ad fabricam Ecclesiæ (ut constat ex c. *Ex parte*, 31. h. t. & sic decisum à Rota refert Barbosa *ibid.* n. 2. pro eadem citans Quarantam in *Summa Bullarii*, V. *Quarta Episcopalis*) nec etiam de relictis Ecclesiæ, ad ejus ornamenta, luminaria, vel quæ veniunt pro anniversario, septimæ ac tricesimæ faciendis, nec de his, quæ *specialiter* sunt personis (puta Rectori Ecclesiæ) *nisi fiat intuitu Ecclesiæ*, sic cit. c. *Ex parte*, cujus hic tenor est: Ex parte vestra fuit propositum, quòd Patriarcha vester occasione constitutionis cujusdam, quam Albinen. Episcopus tunc Legatus in partibus Romanæ *super legatis edidit defunctorum*, & dil. fil. J. titulo sanctæ Præcedis Prefbyter Car. dum ibidem legationis fungere officio, innovavit de quibusdam, quæ vobis & Ecclesiis vestris legantur à decedentibus, *tertiam à vobis exigit portionem.* Cùm igitur ipsi (sicut ex eorum interpretatione accepimus) non intellexerint, quòd de his, *qui in ornamentis Ecclesiasticis, vel ad fabricam Ecclesiæ reparatione indigentes, aut Ecclesiæ luminaria, nec non de his, quæ pro anniversario, septimo, tricesimo, ac tricesimo faciendis; vel de his, quæ personis specialiter, nisi forsitan id fiat Ecclesiæ ratione, à quacunque legantur, aliqua deberet solvi portio Ecclesiæ Cathedrali.* Nos interpretationem eorum ratam habentes, secundum ipsam Constitutionem præfatam præcipimus observari: firmiter inhibentes, ne in prædi-

prædictis aliquid fraudulenter in præjudicium Cathedralis Ecclesiæ procuratur.

2330 Dices: id, quod habet rationem oblationis, seu voluntariæ donationis, est subiectum, præstandæ tertiæ: sed quod specialiter datur personis sine intuitu Ecclesiæ, habet rationem oblationis, seu gratuitæ donationis; ergo id, quod specialiter datur personis, sine intuitu Ecclesiæ, est subiectum præstandæ tertiæ. Minor ex se patet, major autem est ex definitione oblationis. R. majorem esse veram de donationibus factis Ecclesiæ, vel ejus intuitu Ministris ipsius; non autem secus, ut patet ex textu; at sub his non venit denominatio specialiter facta personæ, absque intuitu Ecclesiæ; ergo.

2331 Si quæras, an nec tunc quidem debeatur quarta, vel tertia de relictis ad fabricam Ecclesiæ, quando de præsentem non indiget restauratione? Affirmativam tenet Hostiensis, Joann. Andr. & Ancharanus in c. *fin. de Testam.* etiam Covarruvîa, apud Barbof. in cit. c. 31. n. 2. existimante, esse hanc magis communem opinionem; sed verius est, legatum Ecclesiæ non indigenti factum, servandum esse in futuram Ecclesiæ refectionem, & restaurationem, nisi aliud exprimat forma, seu tenor Legati, qui in dubio inspicendus est; sic Covarruv. in c. *Nobis*, 2. q. 2. prout eum citat Barbofa; quamvis in cit. causa 2. q. 2. nullum reperitur tale Capitulum. Unde ratio nostræ responsionis sumitur ex c. 31. cit. quod à quarta præstanda clarè excipit relictæ Ecclesiæ *ad fabricam*, sine limitatione ad necessitatem præsentem.

§. 12.

An appellatione beneficii comprehendantur omnia, etiam majora, præbendæ, ac dignitates?

2332 HÆc dubitatio suborta fuit Episcopo Tullensi, postquam ei summus Pontifex concessisset pro relevatione oneris debitorum, quibus premebatur, ut *fructus beneficiorum*, quæ interim in ejus diæcesi vacare contigerit, liceat biennio retinere. Et quoniam aliqui Apostolica gratia privilegium restringere moliebantur, afferentes, præbendas, & majora beneficia nequaquam beneficiorum nomine contineri, apostolicam declarationem experienti respondit Pontifex: Nos interpretum hujusmodi sententiam reprobantes, auctoritate præ-

Tom. V.

sentium declaramus, quod præbendæ, ac alia beneficia *generali beneficiorum nomine* continentur, c. *Tua nobis*, 32. h. t.

Ex hoc sequitur, cum Pontifex responderit ad quæstionem, declarando significationem *beneficii*, in materia, seu concessione gratiosa, id procedere sumpto nomine *beneficii* latè; qualiter in omni Dispositione gratiosa verba sumenda sunt, ut alibi diximus. Sic Gloss. in c. *Sigrariosè*, de Rescript. V. *Beneficia*, & in c. 1. de rerum permutat. in 6. V. *Beneficia*; Abbas in c. *Postulasti*, n. 2. & Felin. ibid. n. 4. de Rescript. Hinc in dispositione favorabili, qualis est indultum, seu gratia conferendi beneficia, alicui concessa, nomine beneficii veniunt omnia tam majora, quàm minora, etiam Curata, & dignitates; sic enim nomen beneficii sumitur latè; & conflat ex c. *Dudum*, 14. de præbend. in 6. juncta Gloss. V. *Beneficia*. Et quamvis dispensatio sit odiosa, & strictè intelligenda; potestas tamen dispensandi commissa alicui favorabilis est, & interpretanda latè; ita Sanchez de matr. l. 8. D. 2. n. 1. & juxta cit. Glossam in c. *Dudum*, Gonzalez ad 8. reg. Cancellar. Gloss. 6. n. 24. & ideo infert Garcia de benef. p. 1. c. 6. n. 41. Curata beneficia posse conferri vigore facultatis datæ ad conferendum. Concluditur demum etiam præbendas (intellige Ecclesiasticas, quæ scilicet dantur propter officium spirituale) non autem Laicales, quæ dantur etiam Laicis, propter ministerium aliquod temporale, ut est præbenda Theologalis, quæ datur Magistris, esto Laici sint (de qua in c. *penult. de magistr.*) venire nomine beneficii, ut expressè habetur in cit. c. *Tuo vobis* 32. h. t.

§. 13.

Dereliquis ad hunc titulum spectantibus.

2334 Quæstio 1. est, quid intelligatur per *Novale* in privilegiis de decimis novale non solvendis? R. intelligi agrum nunc primum præcisum, ut dicitur c. 1. h. t. vel, ut loquitur Innocentius in c. 21. eod. intelligi agrum (seu terram) de novo ad culturam redactum, quin extet memoria præcedentis alicujus culturæ, ex quo Ecclesia prius nullum, aut modicum fructum percepit; ita Doctores communiter.

Quæstio est 2. quid veniat nomine *Patris*: R. exc. *Nam & Rex*. 2. h. t. in lata acceptione venire avum, proavum, ac deinceps, atque adeo omnes ascendentes; intelligi.

Tt

tellige ubi de favore agitur, non de odio, ut notat Barbosa in Appellativis, appell. 190. n. 20. *Parentela* verò idem est, quod agnatio, & consanguinitas, ac ejus nomine veniunt non solum parentes utriusque sexus usque ad tritavum (qui enim sunt supra, dicuntur *maiores*; non parentes, nec de parentela) sed etiam agnati, cognati, & omnes collaterales, de quibus ex diversis Authoribus plura Barbof. cit. appellativo 184. à n. 1.

2336 Quæstio est 3. an rectè *unigenitus* dicatur, qui ex eisdem parentibus plures habuit fratres? Sic enim Salomon se compellat in parabolis, ut habetur in c. *Nam & ego*, 3. h. t. cum tamen habuerit plures fratres, à Davide susceptos ex Bethsabee, ex quibus parentibus fuit & Salomon, de quo Gonzalez in cit. c. 3. n. 1. Varias hujus appellationis causas assignant Doctores. Gonzalez cit. censet, Salomonem dictum *unigenitum*, quia unice dilectus erat à Matre sua, cum textus in c. 4. proverb. non dicat eum *unigenitum Matris sue*, sed *unigenitum coram Matre sua*, id est, ut Septuaginta vertunt, *dilectum in facie Matris sue*, hoc est, *unicum* per singularem amorem, curam, & sollicitudinem, perinde ac si esset solus, & unigenitus.

2337 Alii autem volunt, etiam secundum natum, seu filium dici posse *unigenitum*, si prior natus statim decessit; sic enim dicitur, ac si non fuisset. Ex hoc enim cap. *Nam & Ego*, colligunt, natum non videri, qui confestim mortuus est. Tiraq. in L. *Si unquam*, V. *susceperit*, n. 167. & de primogenit. q. 3. n. 12. & Sanchez l. 3. de matr. D. 18. n. 6. Paria enim sunt, *non fieri*, vel, *ita fieri, ut non habeat effectum*.

2338 Quæstio est 4. an particula *antequam* semper sit implicativa? hoc est, an dictio negans actum certo tempore v. g. *antequam convenirent*, ponat implicativè, seu denotet actum alio tempore v. g. subsequenti? R. negativè ex c. *Quod dicitur*, 4. h. t. ubi habetur, ex hoc, quòd apud Math. c. 1. dicitur: cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph, *antequam convenirent*, inventa est in utero habens de spiritu sancto, non sequi, quòd postea convenerint, sed ostendi solum, quòd factum non sit.

2339 Et ideo ex eo, quòd lib. 4. de despons. impub. dicatur: puberi, qui cum impube-
re contraxit, non licere reclamare ad-
versum ea sponsalia, *ante alterius pubertatem*;

malè nonnemo objecit, dicens, quòd ipse ante alterius pubertatem, faciat sensum, ac si liceret huic puberi reclamare post alterius pubertatem, qui sensus est falsus; cum hic pubes nec ante, nec post pubertatem alterius possit reclamare, ut clarè patet ex c. *de illis*, 7. §. *Mulier*, de despons. impub. male, inquam, objecit, & ex illo antecedenti alterum sensum falsum intulit; cum illationis nullitas apertè constet ex cit. c. 4. h. t. hinc rectè ait Emmanuel Gonzalez ad cit. c. 4. quòd, sicut *vim nullam* habet hæc consecutio: antequam convenirent, concepit Virgo ex Spiritu S. ergo postea convenerunt: sic nec ista: ergo etiam hæc consecutio vim non habet: *ante alterius pubertatem* ille pubes non potest rescire; ergo post alterius pubertatem potest rescire. Nam *ante*, non necessariò trahit post se consecutionem ejus, quòd negatur ante factum; sed solum ostendit, quòd non possit, aut non sit factum, ut colligitur ex cit. c. 4.

Hinc etiam not. cum dicitur; *Mariam peperisse primogenitum*, ex more scripture idem esse, ac *unigenitum*; quin per hoc denotetur, eandem genuisse secundum; c. *Joseph* 15. h. t. Primogenitus enim dicitur, qui primò natus est, nimirum, qui non habuit priorem se, etiamsi eum nullus frater sequatur; sic Barbosa in cit. c. *Joseph*, h. t. à n. 2. & plures alii.

Quæstio est 5. quid veniat per notum *forus*? respondet Isidorus, relatus in c. *Forus*, 10. h. t. quòd locus exortatum litium, qui constet causà, lege, judicio. Materia, super qua lis exercetur, necdum discussionis examine patefacta, dum discutienda proponitur, *causa* dicitur; dum discutitur, *judicium*; dum finitur, *justitia*; quamvis, ut notant alii, *causa* propriè dicitur ipsum jus deductum in judicio: sic Maranta de ordine judiciorum, p. 5. Tit. & omnia stant durante instantia, n. 66. Ceterum *judicium* propriè dicitur solum de negotio, postquam inter partes litigantes coram Judice discutitur; & est actus trium personarum, Judicis, Actoris, & Rei: *causa* verò generalius sumitur, & dicitur non solum, postquam negotium in judicio discutitur (qualiter accipitur c. *Cum olim*, & c. *fin.* de causà possell. & propriet.) sed etiam antè, quia est materia, & origo ipsius iudicii, seu dissensionis.

Quæstio est 6. an facultas concessa Episcopo, ut possit disponere de rebus Clericorum

rum decedentium ab intestato, intelligatur etiam de rebus *Canonicorum*? Hanc quaestionem Altissiodorensis Episcopus proposuit Clementi III. qui id rescribens definiuit: quod appellatio *Clericorum*, non solum alios Clericos, non Canonicos, sed etiam Canonicos comprehendat, ut habetur in c. *Cum tibi*, 18. h. t. sic etiam Abbas ibid. n. 1. & 3. Felinus in c. *Non dubium*, de sent. excom. quod tamen aliqui limitant, ne procedat in materia *stricta*, sic Barbof. appellat. 61. n. 3. Præter hoc not. quod, cum quis jurat fidelitatem, & obedientiam Episcopo, & Clero Ecclesie, per *Clerum* hic intelligatur non Clerus totius diocesis; sed solum Capituli Ecclesie Cathedralis; sic Clemens III. Capitulo, & Præposito Placentino, ut habetur in c. *Cum Clerici*, 19. h. t.

2343 Quæstio est 7. an illi, qui in voluntate, & dispositione alterius suam committunt ultimam voluntatem, nihil per se penitus ordinantes, vel determinantes, quid, cui loco, vel personæ conferri debeat, dicantur decedere *intestati*? Casus iste habetur in c. *Cum tibi*, 13. de Testam. ubi de hac materia ex professio agitur, & motus etiam est à dicto Altissiodorensi Episcopo, ut habetur in c. *Cum tibi*, 18. de Verb. signific. quamvis responsio Papæ habeatur in cit. c. 13. Interim sufficiat, Pontificem hic non affirmare, testatoris voluntatem *alterius voluntati* committi posse utcumque; sed *alterius dispositioni*, seu ordinationi, quod fieri potest dupliciter 1. si committat alteri, ut ipse disponat nomine suo disponentis 2. nomine committentis, ut si hic dicat: *volo ut filius meo nomine testetur*, vel, *quod disposuerit filius, tanquam meum testamentum observari volo*. Hunc testandi modum, & ultimam voluntatem in alterius dispositionem, seu arbitrium, hoc est, maturam deliberationem, committendi, hoc loco videtur approbasse Pontifex; & hunc modum valere, ne quis dicatur decessisse intestatus, diximus l. 3. tit. 26. Cujus ratio est, quia talis dispositionis modus solum alteri committit *declarationem* suæ voluntatis ultimæ; at talis modus valet, ut habetur L. *Si is*, 66. ff. de procuratoribus, L. *Que in hærede* 25. ff. de rebus dubiis.

2344 Quæstio est 8. an censurato dari possit absolutio non satisfactâ parte? De hoc agitur in c. *Ex parte*, 23. h. t. ubi cum di-

Tom. V.

stinctione respondetur: Si quis excommunicatus, vel interdictus est præcisè ob contumaciam, ut quia citatus juri stare noluit, posse absolvi, si prius det cautionem sufficientem, standi juri: Si autem pro offensa manifesta, ut, quia maleficium emendare noluit, non debere absolvi, nisi prius sufficiens præstetur emenda. Dixi, *manifesta*, nam si dubia est offensa, sufficiet cautio de parendo Ecclesie mandato; Sic Alagona in Compend. juris Canon. pag. 791. & patet ex ipso textu dicti c. *Ex parte*. Not. autem illam offensam intelligi *manifestam*, quæ nota est, vel per confessionem, vel probationem legitimam, vel evidentiam facti, quin possit ulla tergiversatione celari, sic habetur in c. *Cum olim* 24. h. t. Ex quo colligitur, *notorium* induci, & probari per verba iudicii; sic Mascard. de Probat. conclus. 1101. à n. 13. Farinac. in praxi crim. p. 1. q. 9. n. 20. & q. 21. n. 14.

Quæstio est 9. quid importetur, quando aliquid conceditur per privilegium cum clausula *juxta*, vel *secundum morem præteriti temporis*? R. ex c. *Abbati* 25. h. t. per eas dictiones *juxta*, vel *secundum*, non denotari dispositionem *conditionalem*, quasi diceretur, *si talis mos est*, concedimus; sed *causalem*, & determinativam, ut sensus sit, quia talis mos est, ideo concedimus; sic Joannes Andr. Panorm. Vivianus in Ration. l. 5. juris Pontif. pag. 338.

Præter hæc not. cum in cit. c. *Abbati* 2346 privilegium vocatur *lex privata*, aliud non intelligi, quàm, quod sit *jus singulare* contra jus commune indultum, ut notat Glossa in Rubricam de Rescript. in 6. Azor instit. moral. tom. 1. l. 5. c. 22. & alij; & quando dicitur, privilegium, *debere aliquid specialiter concedere*; nec privilegium esse, si concedat tantum illud, quod jure communi concessum est; advertendum esse, quod privilegium duobus modis considerari possit, *tanquam aliquid contra jus commune*. Primo ut *secundum substantiam* sit contra jus commune, puta, si concedit, quod jure communi est prohibitum, v. g. *ut jure communi instabilis, valide concedat testamentum; ne quis excommunicatum visitare teneatur, ne decimas solvere &c.* Deinde, ut *secundum modum* sit contra jus commune, ut cum actus, qui agitur, aut sit, jure communi est licitus, non tamen modus; prout contingit in privilegio militum, ut testari possint non servatis solennitatibus.

T t t

nita-

nitatibus, &c. His addi potest tertius modus, quo privilegium aliquod est contra jus commune; nimirum *quoad aliquos particulares effectus* v. g. ad sedandos scrupulos, aut majorem securitatem; cum subinde contingat, quod impetrantes privilegium, propter opiniones oppositas, putent sibi non licere, quod jure communi licitum est. Sic Azor cit. c. 23. q. 3. Salas de legibus, D. 17. l. 1. n. 4. Porro, ut concessio facta retineat privilegii nomen, sufficit, si effectum aliquem, præsertim ex prædictis duobus habeat.

2347

Quæstio est 10. an consuetudo immemorialis (cujus nimirum non extat memoria in contrarium) habeat *vim privilegii*, & quidem ex certa scientia concessi à Principe? Affirmativam tenent Decianus, Menochius, Rebuffus, & alii, apud Barbofi in c. *Propierea*, 26. h. t. à n. 4. volentes cum Felino in c. *Cum nobis*, de præscript. consuetam *presumptionem*, quæ resultat ex tali consuetudine, *esse juris*, & *de jure*: Sed hæc intellige, suppositâ capacitate illam inducentis, vel præscribentis. Sic Abbas in c. *Novis*, de judiciis, n. 22. & in c. *Causam, qua*, de præscript. Felinus in c. *Audientes*, de præscript. n. 6. & Covarr. l. 1. Variar. c. 17. n. 6. nam ea seclusâ fallit. Laico enim ex privilegio summi Pontificis acquiri potest jurisdictio spiritualis; non autem consuetudine etiam immemoriali, ut diximus lib. 1. decretal. Hinc quando dicitur, *consuetudinem*, cujus non extat memoria, habere *vim tituli*, ut vult Natta Consil. 154. n. 6. l. 2. eo quod *titulus* præsumatur ex cursu temporis immemorialis per Menoch. de Præsumpt. l. 3. præsumpt. 131. n. 45. intelligi pariter debet, suppositâ capacitate simili, eam inducentis, vel præscribentis.

2348

Quæstio est 11. an, quando in dispositione dicitur, ut *res fiat*, vel *maneat in statu*, quo fuit tempore *lis mota*; hoc tempus referendum sit ad tempus, quo lapillus in denuntiationem novi operis jactus fuit? an verò, qualis inter partes exitit, dum lis fuit contestata? de hac quæstione agitur in c. *Ex parte*, 30. h. t. & cum ea proposita fuisset Pontifici decidenda, respondit: *esse referendum ad tempus*, quo *lis contestatio* facta fuit; quamvis Gonzalez ibid. n. 2. notet, hic esse casum specialem, licet in aliis casibus lis incipiat à citatione: sed de hoc egimus l. 2. tit. 1.

2349

Quæstio est 12. an, cum alicui com-

mittitur potestas *moderandi numerum præbendarum*, propter allegatam insufficientiam facultatum Ecclesiæ, si reperiantur non modò sufficientes pro numero, qui est; sed etiam pro pluribus, delegatus (vi verbi *moderationis*) eundem numerum augmentare, vel minuire debeat? Ad hanc quæstionem respondit Gregorius IX. (ut habetur in c. *Transmissa*, 33. h. t.) in hoc casu *moderationi non esse locum*, consequenter Canonicorum numerum esse relinquendum in statu veteri; quia, ut notatur in rubrica, verbum *moderationis* diminutionem continet, non augmentum: si quod tamen foret augmentum redditum eisdem Ecclesiæ, convertendum esse in eandem utilitatem. Cæterum de hoc V. Trid. sess. 24. de Reform. c. 15.

Præter hæc tenent dicta de Verborum significatione not. 1. per hæc verba in privilegiis à Pontifice datis posita, *recipimus Vos in proprios filios Romana Ecclesiæ*, non significari exemptionem à jurisdictione Ordinariorum: Sic Innocentius IV. in c. *Perniens*, 1. h. t. in 6. significari tamen, *quod non possint excommunicari, suspendi, vel interdici, nisi à Papa, vel ejus delegato*. Ubi Innocentius IV. ait: per illa verba: *in specialibus, & propriis Ecclesiæ Romana filios vos recipimus*: dictos fratres exemptos non intelligi, & ipsos ex illo in proprios eisdem Ecclesiæ filios fuisse receptos, *quod ab alio, quam à Romano Pontifice, vel Legato ab ejus latere destinato, interdici, vel excommunicari à quoquam non valeant, declaramus*. Ex hoc autem textu infert Felinus in c. *Graves*, de offic. Ordin. n. 3. & alii, exemptos subiectos esse jurisdictioni Legati de latere: id, quod etiam docet Navarr. de datis, & promissis pro justitia, not. 4. n. 10. sed huic indefinitæ illationi contrarium diximus sup.

Not. 2. *familiares* alicujus, *proprie dicti*, qui expensis ejus, tanquam continui commensales vivunt, etiamsi contingat aliquando aliquos ex illis abesse pro negotiis gerendis, c. *fin.* h. t. in 6. ubi Bonifacius VIII. exponit, quit significetur per verba *Clericorum suorum*; & ait: quia dubitas, qui Clericorum *suorum* appellatione debeant contineri? brevi respondemus oraculo, quod illos in *his, & similibus casibus tuos volumus intelligi Clericos, qui per te non quaesiti; propterea vel recepti sine fraude, & fictione qualibet verè sui Clerici familiares existunt, & in tuis expensis continende*.

domestici commensales. Etiam si quos ex illis aliquando per tuis gerendis negotiis abesse contingat.

2352 Coeterum, cum frequenter contingat dubitatio, quid in privilegio, quod habent aliqui Regulares, ut possint familiaribus suis in infirmitate ministrare extremam unctionem, S. Eucharistiam, ac etiam sepulturam, importetur per verbum *familiares*? Notandum r. ex Pereyra in Elucidario n. 355. & seqq. quod Baldus in c. *In literis*, de testib. ponat discrimen inter *domesticos*, *familiares*, & *attinentes*, exponens in hunc modum: *Domestici* dicuntur omnes, qui vivunt ad unum panem, & ad unum vinum, ut sic loquar (ait) grosso modo. Authent. de monachis, §. *co-gitandum*. Subscribit Felin. in c. *Instruante*, de offic. deleg. affirmans domesticum dici illum, qui pro majori parte *cohabitatur*: addens domesticum in dubio presumi de familia. *Familiares* dicuntur omnes, qui sunt sub alicujus imperio de jure, vel de facto, ff. de jurisd. om. jud. quæ jurisdictioni. *Attinentes* autem dicuntur, qui possunt accusare tanquam prosequentes suorum injuriam. L. r. in fin. ff. de postul. & L. *si femina*, C. ad Turpil.

2353 Not. 2. familiarium appellatione verè contineri, qui expensis alterius vivunt, & morantur cum eo, indeque continui Commensales vocantur. c. *Sicut nobis*, de verb. signific. in 6. ita Card. Tusch. pract. conclus. tom. 3. lit. F. conclus. 72. n. 1. idem dicit n. 30. de consanguineo, filio, & conjuncto: addit n. 37. dici familiarem, qui actualiter nec in servitio domini est, nec vivit expensis illius, sed recessit reversurus, & n. 41. dicit, quod sufficit commensalitas, licet sit extra domum, & quod sufficit pars in pecunia, licet non in speciebus.

2354 Not. 3. familiarium appellatione ad fidei commissum, quod testator reliquit suis familiaribus, venire eos, quos testator circa se, & sui cultus gratiâ tenebat continuos commensales domi suæ. L. *alimenta*, §. *libertis*, ff. de alim. & cibar. legat. Ubi cum multis Fusar. tract. de substit. q. 376. Etiam in odiosis, cum interdicitur Petrus cum familia, Henriq. in sum. lib. 13. c. 48. §. 5. ver. *nomine*, affirmat contineri omnes, qui sunt de domo illius, & sub potestate paterna, ac dominativa, puta servos, & famulos in eadem domo viventes, & eos, qui expensis domini vivunt, etiam extra do-

num, quales v. g. Oeconomi, & alii officiales: qui veniant familiarium nomine, ut fruantur privilegiis concessis Regularium familiaribus, exponit latè Suarez tom. 4. de relig. tract. de Societ. lib. 9. c. 6. n. 14.

Not. 4. *familiarium Papæ* appellatione venire Cardinales juxta Oldrad. conf. 48. quoad effectum reservationis, venire Referendarios, Prothonotarios, Auditores Rotæ, Cubicularios, Secretarios, Milites S. Petri, & reliquos officiales R. Pontifici in palatio deservientes, aut custodiam facientes, licet in eodem nec comederint, nec comedant; ita Gonzalez ad reg. 8. Cancel. gloss. §. 1. à n. 16.

Not. 5. *familiarium Episcopi* appellatione ne apud Majol. de irreg. l. 4. c. 2. n. 5. ad ordines accipiendos, venire illos, qui per triennium cum Episcopo fuerint commorati, & præsentibus inservierint: non tamen illos, qui absunt, licet sumptibus Episcopi vixerint ad formam Trid. sess. 23. de reform. c. 9. V. Barb. de offic. & potest. Episc. p. 2. alleg. 5. n. 6. & n. 18. & Sanchez in opusc. de or. dub. 20. n. 22. quibus præmissis:

Deducitur, in ordine ad diversos effectus, verbum *familiares*, diversa significatione accipi, ut constat ex his, quæ præcedentibus numeris attulimus; quia tamen, ubi dispositio favorabilis est, & privilegium, præsertim ob merita Religionibus concessum, cum primis etiam intuitu Religionis, latam habet interpretationem, meritò latè sumitur verbum familiares, prout exponit Suarez citatus supr. n. 2354. quod valde probabiliter extenditur etiam ad eos, qui in domiciliis, & Seminariis sub cura, & directione talium Regularium in eadem domo degunt, eorundem disciplinæ, ac correctioni consignati, ex n. 2352.

Not. 6. cum inter Professores regulæ S. Francisci, dubio suborto, *an teneantur ad observantiam eorum omnium, quæ in regula sub verbis imperativi modi ponuntur?* quibusdam eorum viris devotis, ac doctis, valde probabiliter affirmantibus; aliis probabiliter negantibus (ut dicitur in Clement. Exivi, 1. h. t.) consultum Clementem V. ut, quid in hac controversia tenendum, declararet, Clementem respondisse sequentia: *Nos itaque attendentes, quod in iis, quæ anime salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientia, pars securior est tenenda*, ita dicimus: quod licet Fratres

non ad omnium, quæ sub verbis imperativi modi ponuntur in regula, sic ut ad præceptorum, & præceptis æquipollentium observantiam teneantur; expedit tamen ipsis Fratribus, ad observandum puritatem regulæ, & rigorem, quod ad ea, sicut ad æquipollentia præcepti se noverint obligatos, quæ hic inferius annotantur.

2359 Ex hoc textu colliges. 1. Pontificem aperte distinxisse inter ea, quæ sunt *sub obligatione*; & ea, quæ licet non sint *sub obligatione*, tamen *expediunt* ad conscientie tranquillitatem; & pro hac secunda parte *confirmanda*, illud (quod alibi sæpius dicitur) *assumpsisse, quod ad vitandos conscientie remorsus pars tutior est tenenda*, quod est meri consilii *super re magis expediente*, propter scrupulos.

2360 Colliges. 2. quod, licet in quæstione, *an omnia sint sub obligatione conscientie*, quæ in regula ponuntur, *sub verbis imperativi modi*, opinio affirmantium esset æquæ, vel etiam probabilior oppositâ; Pontifex nihilominus resolverit *pro negativa*, non ad *omnium*, quæ sub verbis imperativi modi ponuntur in regula, sicut ad præceptorum, vel præceptis æquipollentium, *observationem teneri Fratres.*

2361 Et quamvis plura fuissent proposita, de quibus apud dictos Regulares erat dubitatio, *an præcepta essent*: cum ponantur *sub verbis imperativi modi*: Pontifex tamen, non tantum decidit pro negativa, *quoad obligationem omnium*, sed etiam *quoad securitatem, & regulæ puritatem* etiam in iis, quæ sub obligatione non sunt; ut patet ex illis verbis, ubi, postquam dixit *expedire*, ut, *licet non omnia essent præcepta, tamen aliqua (ergo, non omnia) expedire, ut servarentur, quæ scilicet inferius annotaverat.* Ubi liquet, axiomati (*pars securior est tenenda*) nec in iis quidem, *ex præcepto*, vel *præcepti necessitate* locum esse, quæ etiam *expedientia sunt*, licet probabiliter affirmaretur ab aliquibus, etiam ea esse *sub obligatione.*

2362 Not. 7. non tantum in c. *Exiit*, 3. h. t. in 6. sed etiam cit. Clementina *Exiit*, 1. eod. plura particularia decerni, & declarari, quæ pertineant ad Religiosos S. Francisci Seraphici; quia tamen hæc sunt solum pro illo Ordine; & ipse Pontifex ad finem cit. c. *Exiit*, prohibet diversas Doctorum

opinionem ab Expofitoribus induci; nosul-
teriore in ea commentationem præter-
mittere.

Not. 8. ex hoc, quod Joannes XXII. senserit, *non posse nudum usum, rerum usum consumptibilem, separari à dominio*, & Nicolaus V. in Extravag. *Exiit*, 3. h. t. ac Clemens V. in Clement. *Exiit*, contrarium asseruerit, cum communi Theologorum, & Juristarum; per hoc tamen aliud non sequi, quam ipsos disconvenisse in re, non fidei, sed merè *Ethica, politica, & juridica.*

Not. 9. Hæreticos ineptè contrarietatem in rebus fidei inter summos Pontifices, Joannem, & Nicolaum, ex eo; quod Joannes XXII. neget, *Christum semper exercuisse rigidam pauperitatem*, quæ excludit omnem proprietatem; & Nicolaus dicat: *Christum aliquando perfectissimam pauperitatem, verbo, & exemplo docuisse; aliquando verò minus rigidam*, cum ut Joannis 13. legitur, *legatur habuisse loculos.* Nam quoad hoc in nullo à Nicolao contradicit Joanni, plus quàm manifestum est. Imò opinionem, quæ asserit: *Christum, & ejus discipulos nihil habuisse in particulari, & in communi*, esse erroneam, & hæreticam, tradit Barbofa in Extravag. *Cum inter*, 4. Joannis XXII. n. 1.

Not. 10. ad quæstionem, *quid intelligatur*, quando in jure canonico præcipitur Judicibus, ut causam sibi committam tractent *simpliciter, de plano, & sine strepitu, ac formâ judicii*; Clementem V. in Clement. *Sape*, 2. h. t. respondisse: intelligequentia 1. quod non necessarîo exigat libellum, neque etiam litis contestationem, in tempore etiam feriarum, ob necessitates hominum indulturam procedat; dilationum materiam amputet; partium, advocatorum, procuratorum, testium contentiones, testiumque multitudinem refrænet; probationes tamen necessarias, & legitimas defensiones admittat; citationem verò & juramentum, calumnie nomine, Pontifex non excludat. Secundò, quod, si quid petere voluerit, in ipso litis initio petitio faciendâ sit (ut constet, super quibus positiones, & articuli formari debeant) & actis inferenda sit. Sed de his expresso l. 2. tit. 1. de Judiciis.